

*Tota Natura  
inclusa est cœ-  
lo Stellato.*

*Mundus im-  
mensus, &  
infinito simi-  
lis.*

mus, erit, nisi quantum nos Sacræ literæ de his scire voluerunt, tum etiã quicquam extra hoc concauum constituendi præclusa erit via. Quare totam reliquam hanc Naturam, ceu sacrosanctam, à Deo cœlo stellato inclusam cum gratiarum actione admirabimur, & contemlabimur, ad quam perscrutandam, & cognoscendam multimodis, infinitis instrumentis, & donis nos lucupletauit, & idoneos nos effecit; & quidem eò vsque progrediemur, quò ipse voluit, neque ab ipso constitutos limites transgredi tentabimus. Immensum præterea mundum esse, & verè infinito similem, quantum etiam ad eius concauum, ex eo quidem in confesso est, quòd stellas omnes scintillare videamus, planetis exceptis, etiam Saturno, qui eorum cœlo citimus, maximo fertur circulo. Sed idem longè manifestiùs ex D. Præceptoris hypothesebus per ἀποδείξεις patet. Cum enim Orbis Magnus Terram deferens, ad quinq; planetarum orbis perceptibilem rationem habeat, vnde videlicet omnem apparentiarum diuersitatem in his planetis, per eorum ad Solem habitudines prouenire demonstratur: ac omnis in terra horizon orbē stellarum in æqualia, vt vniuersi citculus magnus interfecet, & orbis reuolutionum suarum à stellis fixis æqualitatem habere comprobetur: satis clarum est, orbem stellarum maximè infinito similem esse, quoniam quidem orbis magnus ad eum collatus euanescat, omniaq; τὰ φαινόμενα non aliter conspiciantur, ac si terra in medio vniuersi consedisset.

*Qua in vul-  
garibus  
hypothesebus  
multifariam  
desiderantur,  
& de quibus*

Porro quanquam admiranda, & haud indigna tum opifice Deo, tum quoq; diuinis his corporibus motuum, & orbium symmetria ac nexus, quæ prædictis hypothesebus assumptis conseruatur, animo citiùs concipi (propter affinitatem, quam cū cœlo habet) quàm vlla voce humana eloqui posse affirmauerim; quemadmodū in demonstrationibus nō tam verbis, quàm perfectis & absolutis, vt ita dicam, ideis harum suauissimarum rerum nostris animis imprimi solent. Tamen & in generali hypotheseum contemplatione est videre, quomodo ineffabilis quoq; conuenientia, omniumq; consensus sese offerat. Nam præterquam quòd nullus in vulgaribus hypothesebus finis effingendarū sphaerarum apparebat, orbis, quorū immensitas nullo sensu, aut ratione percipi poterat, tardissimis, & velocissimis circumducebantur motibus; alijq; à supremo mobili omnes

omnes